

QUÆSTIO. XVIII.

Quam sublime, ac magnificum sit nomen dici fratres Ordinis Beatiſſima Virginis de Monte-Carmelo.

PRO huius rei commendatione. maxime omni consideratione notanda, ac exponenda sunt verba quibus summus Pontifex Sixtus IV loquitur in hac re in sua Bulla quæ incipit. Dum attenda meditatione pensamus, sic ait: Virgo Dei genitrix gloriosissima, cujus pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, ineffabili spiritu sancti cooperante virtute nota genuit, produxitque Sacrum Ordinem B. Mariae de Monte Carmelo a Sede Apostolica pluribusque Romanis Pontificibus approbaturum. Et postea subdit. quem Ordinem ejusdem gloriosissima Dei Genitricis semperque Virginis speciali titulo voluit insigniri, ut ob ejusdem Virginis reverentiam Ordo ipse a Christo fidelibus meritoque amplius veneraretur.

Multa, & valde magna in nostram laudem dicit summus Pontifex, & ait, quod Virgo genuit, produxitque Sacrum Ordinem de Monte-Carmelo, & in omnibus se exhibuit, ut vera Mater in multis donis ac favoribus, ut patebit ex infra dicendis, quia valde commune erat, ut Matres filii nomina imponerent, sic Eva primogenitum suum vocavit Cain Gen. 4. n. 1. sic & Rebecca nomen dedit Esau, & Jacob, ut multorum est sententia Gen. 25. n. 2. sicque Samsonis mater nomen ei imposuit Judic. 13. n. 24. sic & Anna Samuelis mater filio suo nomen dedit 1. Reg. 1. n. 20. sic & mater Salomonis ei nomen indidit 2. Reg. 12. n. 14. sic & sanctissima Virgo, ut se vere Matrem ostendere nobis nomen imposuit, ut ait citatus Pontifex, quem Ordinem ejusdem gloriosissime Virginis Dei Genitricis speciali titulo voluit insigniri. Ob ejusdem Virginis reverentiam.

Dicitur Gen. 6. n. 2. Videntes Filii Dei filias hominum, quinam sunt isti Filii Dei? vera, & communis sententia est, quod sunt filii Seth, Enos, Enoch, Lamech, ut tenent D. Chrysostom. Noster D. Cyrillus Theodoret. Rupert. D. Hieronimus in Plal. 132. qui ob suam sanctitatem, iustitiam, ac reverentiam, & cultum erga Deum, ita ut eos fuerit primus qui cepit invocare nomen Domini Gen. 4. n. 26. qui ergo in veneranda, ac recolenda suprema Dei maiestate sunt primi, primi nominis splendore gaudeant, & exultent, ut Filii Dei dicantur Carmelitanæ in cultu, ac veneratione Virginis Mariæ cum in ejus honorem omnium primi Sacellum construxerint, ac ædificaverint, inde ex ejus singulari benignitate habent, ut filii, ac fratres Beate Virginis de monte-Carmelo dicantur.

Magnis, & altissimis donis condecorat Deus Abrahamum constituens eum Patrem multarum gentium, ut semet ejus possideat portas inimicorum suorum, & in pactum cum eo in carne ejus in foedus sempiternum, datur ei supremum donum, ut sit, & dicatur Pater filii, ac Virginis Mariæ, & in signum tantorum magnalium mandatur ei, nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham Gen. 7. n. 5 in quo ut notat D. Hieronimus Lippoman. & alii, antiquo nomini Abra, addidit deus unam literam H, ex suo magno nomine Tetragramaton Lippoman. In quo magnam prerogativam ei concedit. Si una litera nominis dei data Abrahamo est illi in magnam prerogativam, quanta, & valde sublimitate, ac honore nos condecoramur a Sanctissima Virgine Maria, cum non una tantum litera, sed toto ejus nomine gloriamur, ut dicamur fratres

162 Verba Sixti IV. 163 Matres dans filii nomina. Gen. 4. D. Chy-Theod. Rupert. D. Hier. Gen. 4. Carmelitanæ primi in cultu Virginis, primi ejus nomine nobilitantur. 164 Gen. 6. 165 Gen. 17. D. Hier. Lippom. Virgo nomen suam literam, sed totum suum nomen nobis dat.

Beatissima Virginis Mariæ de monte-Carmelo.

Quem ordinem ait Pontifex, ipsa Virgo genuit, & produxit, & ideo suum eximium amorem erga nos declarat sæpe filios dicens, ut ostendam infra q. 20. filii autem nomen supremum, & eximium amoris aff. etiam importat, & manifestat. In ultima Cœna ait Christus Dominus suis Apostolis, Filii adhuc modicum vobiscum sum. Joa. 13. n. 33. Christus sæpe intemè dilexit suos Apostolos, numquam eos dixit filios, nisi modo in ultima cœna, quando miro, & admirabili modo omnes amoris excessus prodierunt tunc lavit pedes discipulorum suorum, eisque promisit supremum donum Spiritus Sancti, Cum autem ab ipso mittam eum vobis Joa. 15. pro eis ad Patrem orat cap. 17. Pater tui erant, tu mihi eos dedisti, alta, & sublimia præbet documenta, & quod maximum, & majus est omnium, instituit Divinissimum Sacramentum, in quo ut ait, tridentinum declaravit divitias sui amoris, & tunc, & non antea eos dicit filio nisi modo inter tantos amoris excessus, non oculatur, sed prodit nomen filii; quia in eo exundat, omnis amoris affectus Rupertus Abbas ibi: Uno eodemque nomine.

Maxime exaggeratur Divini Patris amor erga homines, ut notat D. Aug. tract. 2. in Joa ponderans illius sublimem, & altum arcanum illius Evangelii, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum & Deus erat Verbum, id est: In principio, In Patre Eterno, qui per excellentiam est principium sine principio, & est principium totius entis tã increati, quã creati. Et Verbum erat apud Deum per intimum, ac substantialem identitatem, ac substantialem naturam cum Patre. Et Deus erat Verbum, et ipsum verbum erat verus Deus æqualis cum Patre. Deinde pergit Evangelista per altissimos, ac sublimes discursus, & descendit agens de generatione adoptiva, quàm æternus Pater constituit in hominibus. Dedit eis potestatem Filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus. Ad quid sublimis Aquila cum incipias agere de generatione æterna, ad quid divertis sermonem ad filios adoptivos? Ut declararet, ac exprimeret supremam exabundantiam Divini paterni amoris erga nos. Inter homines datur filiatio adoptiva ex defectu generationis naturalis, ac tantum in excessu crevit amor Æterni Parentis, quod cum haberet unicum filium perfectissimum, & naturalè, utpote verum Deum sibi æqualem, sic tantum dilexit homines, ut etiam per gratiam eos filios crearet, sic in præsentia in persona Christi exaggerans ejus amorem loquitur D. Aug citatus, Magna benevolentia unicus natus est, & noluit manere unicus. Ex quo conjice quàm magna, ac sublimis extiterit benevolentia Sanctissimæ Virginis, quæ multoties apparet cum unigenito filio suo Jesu in brachiis, ut dicam infra q. 20. in præsentia tantum, ac talis filii per suum eximium favorem, ac gratiam nos etiam filios appellat, ac dicit.

In primo rerum opificio supremus Artifex dixit Fiat lux, & facta est lux. Ge. 1. n. 3. Quæstio est, quæ erat lux? nam quarta die Deus fecit duo luminaria magna, luminare majus, ut præset diei, luminare minus, ut præset nocti, & stellis. Gen. 1. n. 11. Communis est sententia, quod ista luminaria creavit Deus ex illa nube lucida creata primo die. Unde eleganter dixit Magnus Hylicus: Primogenitus lucis Sol, postea vero creata sunt alia nubes lucida, ac refulgens totius Ecclesie est Virgo Maria, sic etiam appellant Sancti Patres luminare corpus, quod totam Ecclesiam illuminat, ut dixi supra q. 10. Primogenitum autem lucis Sol, Primogenitus autem filius, ac primo genita religio sacratissima virgini Mariæ dedicata ac

166 Joa. 11. Exuberantiam amoris in nomine filii declarat. 167 Joa. 1. D. Aug. Eximium amoris Virginis Mariæ, quæ nos etiam habere filios per gratiam.

ac consecrata est Religio Carmelitana, quæ ejus luce illustrata, ejusque favoribus fomentata, ubere fructus protulit in Ecclesia dei, ut dicunt Summi Pontifices infra citandi.

QUÆSTIO XIX.

De Indulgentia concessa ab Urbano VI. nominantibus Ordinem Carmelitanum, vel fratres Ordinis Beatiſſima Virginis Mariæ de Monte-Carmelo.

IN præfatis lectionibus dicitur, quod hunc titulum fratres Ordinis B. Mariæ de Monte-Carmelo Summi Pontifices non solum confirmarunt, sed & indulgentias peculiaris sui, qui eo titulo, vel Ordinem vel fratres singulos nuncuparent concessere. Quod Summi Pontifices hunc titulum fratrum Ordinis B. Mariæ confirmarunt, patet ex multis Bullis concessis à Sede Apostolica sub hoc nomine, ut vidimus q. 17. quod verò attinet ad dicentes hoc nomen, de quo est quæstio.

Multi invidiosi inique ferentes quod tanto nomine effemus insigniti, variis calumniis illud auferre intendebant, dicentes nos dici fratres cum iudam Mariæ peccatrici, ac penitentis, & ut talis error contra constitutiones Apostolicas, ac diplomata Summorum Pontificum extingueretur, & omnino expurgaretur ab hominum memoria procurator Generalis Ordinis M. Fr. Nicolaus de Luca per Eminentissimum D. Cardinalem Bartholomæum tit. S. Marcelli protectorem Ordinis, hanc fecit suæ sanctitati supplicam.

Supplicam igitur sanctitati vestrae Fr. Nicolaus de Luca Procurator Ordinis B. Virginis de Monte-Carmelo, & omnium, & singulorum vestrae sanctitatis devotorum fratrum Ordinis prædicti, quatenus sanctitas vestra dignetur opportuno remedio providere contra talia obloquentes, & detrahentes in favorem, & honorem Ordinis prædicti, & omnibus Christi fidelibus, qui ordinem ipsum, & fratres ejusdem ordinis; Ordinem & fratres Beatiſſima Mariæ Genitricis Dei vocaverint, nominaverint, seu appellaverint, si in gratia extiterint Indulgentia trium annorum, & tot quadragesimarum concedere gratis perpetuis temporibus duraturam.

Indultum.

Cui supplicationi de benignitate Sedis Apostolicæ annuus, ipsam liberè in eadem formam concessit. Data Roma in hospicio habitationis nostræ. Septimo Kalendas Maii Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Urbani Papa Sexti anno secundo, qui fuit annus 1376. nam Urbanus VI. creatus fuit Pontifex anno 1378.

Quod est valde singulare beneficium hujus Ordinis, quod solum ex ejus nomenclatura concedatur Indulgentia, in quo videntur Summi Pontifices imitari reverentiam, ac singularem Virginis benevolentiam erga hunc Ordinem, ut notat Theophylactus, Reynald. de Sacro Scapul. & ait, Ideo Summi Pontifices merito censuerunt tanta Matris affectum, ea gratitudinis significatione esse recolendam. Quæ indulgentia licet fuerit vivæ vocis oraculum perdidit Cardinalem sancti Marcelli tamen non est revocatum per constitutionem Urbani VIII. Primo quia gratiæ, quæ sunt merè favorabiles, & nullum Ecclesie conferunt detrimentum, non sunt revocate per talè constitutionem, ut ex verbis ipsius

269. Trinitas fratrum B. Mariæ per multos Pontifices confirmata. 270. Multi inimici contra Religionem. 271. Supplicam Procuratoris Generalis. Indultum Urbani VI. 272. Singulare beneficium. Theoph. Reynald.

constitutionis constat, ut valde probabiliter tenent Sapièntissimus ac dignissimus noster generalis theodorus Statius de Instructione nostre religion. c. 20. n. 7. M. Lezana in summa verbo Oraculum n. 5. & ego opusc. 2. ref. 46. cum Bellizario, Bordonis, & aliis, Secundo, & fortius: Illa, quæ erant vivæ vocis oracula, & postea per alias concessionis pontificias habentur tamquam in Bulla publica non sunt revocata; quia jam exierunt naturam oraculorum, ut communiter tenent Doctores circa quandam Bullam Pauli V. anno 1660. die 23. Maii & alteram concessam pro nostris Discalceatis ab eodem Paulo V. 1610. die 3. Aprilis, ut dixi citato opusc. citat. Refol. 46. q. 2. v. 13.

Tunc sic probat Urbanus VI. dedit illud vivæ vocis oraculum anno 1380. postea verò Sixtus IV. in sua Bulla, Dum attenda meditatione, Datum Romæ anno 1473 & sua sanctitas approbans, & ex certa scientia omnia nobis concessa, & sic ait: Ex certa scientia, & motu proprio approbat, innovat omnes gratias plenarias, & gratias spirituales, & temporales ordini vestro, vestrisque domibus, aut fratribus in genere, vel specie quomodolibet concessas. Illa dictio quomodolibet valde latè comprehendit, ut late probat Barbosa dictio 330. n. 1. Omnia quocumque modo sub quacumque verborum forma fuerint concessa, & n. 2. comprehendit omne jus, si ve directum, si ve indirectum, si ve proprium, si ve improprium, pro hoc citat multos, & magnos Doctores. Cum ergo dictio: Quomodolibet comprehendat omnia, nullamque patiatur exceptionem, & Sixtus IV. in sua Bulla innovet & confirmet omnia quocumque modo Religioni concessa, hoc non solum ad nullas, sed etiam ad oracula pertinet, quæ omnia sunt innovata, & inserta in Bulla Sixti IV. & non cõprehenduntur in revocatione facta in oraculis.

tertio, quia multorum gravissimorum Doctorum Fr. Antonii ab Spiritu Sancto, Bellizarii, Hurtadi, Perinis, quos adduxi citata Refol. 46. q. 2. n. 11. sententia, quæ tenet, & docet privilegia Regularium vivæ vocis non esse revocata per generalem revocationem oraculorum, sed esse in sua vitidi, & valida observantia.

Textus. Ne verò nomenclaturam tantum magnificentiſſima Virgo tribuit, & tutelam, verum etiam insigne Sacri Scapularis, qui dignoscatur, & à malis ingruentibus protegeretur, ac demum cum olim in Europa ordo esset ignotus, & ob id apud Honorum Tertium, non pauci pro illius extinctione instarent, astitit Honorio notu purissima Virgo Maria planeque iustus ut institutam, & homines benigne complecteretur.

EXPOSITIO.

VALDE vulgare est apud sanctos Patres, & doctores quod nomina à Deo imposita magnam important significationem in multis mirabilibus, & magnis operandis prodigiis; sic cum olim magnus ille Patriarcha diceretur Abram, mandat illi deus, ut dicatur Abrahamus, id est Pater multarum gentium, sic & Princeps Apostolorum cum diceretur Simon Joannis, præcepit Christus, ut diceretur Petrus, ut pore petra, ac fundamentum totius Ecclesie, sic & cum nostri religiosi antiquitus dicerentur filii prophetarum, nutu Virginis dicuntur fratres B. V. de Monte-Carmelo, utpote Sacratissimæ Virginis consecrati, ac sub ejus tutela, quam in multis sunt experti, & hoc ab exordio, ac à primitiva Ecclesia.

QUÆSTIO

Statius Lezana. Bellizar. Bordon. 274. Assignatur alia Bulla. 275. Sixt. IV. Barbosa. Incorporatum in Bulla. 276. Religioni non revocata. Anton. Hurtad.

QUÆSTIO XX.

De multis, ac magnis mirabilibus, quibus Sacratissima Virgo se praeiit marem, ac Tutelarem Carmelitarum.

- 278. Pl. 105. Chald. Nullus potest.
 - 279. Ex filijs fratres que ap. bellat.
 - Sixt. IV. Carmeliticum ordinem genuit Beata Virgo.
 - Gregor. XIII.
 - 280. Admonit. Virgo transiit ad Occidentales plagas.
 - Gittel. Samuc. Palcon. Arnold. Vineam Carmel.
 - 281. S. Cyril. Vbiq. auxiliat Thom.
 - 282. Hon. III.
- It Regius Vates psal n. 105. n. 2. Quis loquetur potentias Domini, & auditas faciet omnes laudationes eius. Chaldæus explicat, Quis potest tot eius mirabilia delectare, ac annunciare, quibus Sacratissima Virgo Maria voluit suum Ordinem Carmelitano condecorare, ac nobilitare, quae tot, & tanta sunt numero, magnitudine, ac excellentia, ut nostrum intellectum excedant, ac superent.
- In illa primitiva Ecclesia promulgato Evangelio, nostri antiqui Patres illud amplexati sunt sine ulla mora, ad pedes Sacratissimae Virginis conuolarunt, ipsam venerantes, ac adorantes, ipsosque benignè exceperit, & ut omnium Magistræ illos docuit, & illuminavit in multis, & magnis fidei mysterijs, eosque visitare, ac honorare dignata est in Monte-Carmelo, ut supra dixi q. 11. eosque sua eximia benignitate fratres, ac filios B. V. M. de Monte-Carmelo vocari concessit, ut inquit Sixtus IV. in sua Bulla prima, & secunda pro Carmelitanis, Ipsa Sacratissima Virgo, cuius pulcherrimum Sol, & Luna mirantur, immo ipsa sancti Spiritus cooperante virtute genuit, produxit Sacrum Ordinem Beatae Mariae de Monte-Carmelo. Et post pauca subdit Pontifex. Praedicti Ordinis professores in firmamento Catholicae fidei militantes, tamquam Religionis speculum & exemplar, speciedi Charitate fulgentes. Et tandem apponit dictus Pontifex: Fructus quoque uberes quos dicitur Sacer Ordo in agro militantis Ecclesia in propagatione Religionis, & fidei Orthodoxe hactenus produxit utiliter, & producit, ac in futurum producturum fore indubitanter speramus. Quae omnia luculenter explicat Gregorius XIII. in sua Bulla ad laudes dicens, Beata Virgo Maria visceribus suis Carmeliticum Ordinem spiritaliter genuit, & ad ubera lactauit. Ex tanta Virginis gratia, ac peculiari protectione innumerabilem, quae nobis contulit, pauca videamus.
- Primo. Cum in Syria magna persecutio à Turcis, & Mauris esset exorta in Christianos, & maxime in Carmelitas, qui crudeliter vexabantur, ac multis cruciabantur, à priore Generali convocato Capitulo multi dicebant, quod transcendendum erat ad partes Occidentales; eo quod ibi nullo modo poterant conservari, sed quotidie minuebatur. Alii contra dicebant non esse recedendum à suo antiquo loco, milites fortes terga non vertunt, sed ad mortem usque persequuntur. Cum res maxime vortetur in dubium Sanctissima Virgo apparuit Sancto priori Carmeli, Admonuitque ut petitioni fratrum, qui Orientale lumen tenebris occiduis inferre volebant nequaquam obstitit, inuens à se, & à filio suo huic egressum esse sermonem, quatenus Carmelites flores, non solum Palaestinam & Syriam, sed orbem adornent universum. Ita referunt Guillelmus Samucus paleonyd Arnoldus, Bostius apud vineam Carmeli n. 497. fol. mihi 251.
- Et iam Sanctissima Virgo hanc transmigratorem revelavit S. Cyrillo Eremitæ Montis Carmeli promittens ei ubique Religionis esse auxiliaturam. Ita referunt Guillelmus Mam. de multiplici. Ordin. cap. 3. Arnolti. cap. 5. paleonyd. lib. 3. cap. 4. Thomas de Jesu lib. 2. de fratre Carmeli cap. 11.
- Secundo ut dicitur in lectionibus, Cum ordo esset ignotus in Europa, & apud Honorium III. non pau-

ci pro illius extinctione instarent. Adhuc noctu purissima Virgo, planeque iussit, ut institutum, & homines benignè complecteretur. Et tunc mirabiliter contigit, ut illa, eadem nocte duo palestini crudeliter adversarii Religionis perierint, & mortui fuerint; quod ea n. audisset Honorius, dato diplomate, dictum ordinem, ac statum confirmavit, & approbavit, Bullam integram refert Cherubinus Bull. to n. 1. in Honorio III. Const. 8. & de hoc magno miraculo scripsit Cassianus de gloria Mundi q. 2. pineda. cons. 4. 8. pineda in Monarch. ca. p. 23. Rodrigues tom. 1. q. 2. art. 5. Bellarm. in sua Chronologia lib. de Bellarm. Scriptoribus Ecclesiasticis. Egidius Lusit. lib. Cui titulus Primas Augusti l. 1. c. 3. Abraham Brovius. tom. 1. 3. Annal. anno Christi 1217. n. 12.

Tertio. Cum in Europa multi Conventus Carmelitani edificarentur, quod valde ægrè ferebant quidam Prælati, qui omni acerbitate molesta, ac vexatione persequebantur Carmelitas, illi ad solitum Virginis Mariae patrocinium recurrentes, eamque invocantes ipsa purissima Virgo apparuit Sancto Simoni Anglico Generali, & ait, Vade ad Innocentium quartum inrepide, qui iuxta sui nominis interpretationem partem inno. ent. un. fovere debet, insiliis gravaminibus remedium imponat generalis divinae Virginis monitis obediens ad Innocentium abiit, sua mandata exposuit, & à Pontifice valde benignè exceptus, multis remediis impositis, & veluti ex Divino afflatu omnia quievere unt. Ita scribunt Bostius lib. de patron. Virg. q. 9. Bostius. Abraham Brovius tom. 1. 3. Annal. an. 1245. Trithem. de laudibus Carmeli, & alii.

Quarto. Valde in hac re celebris est Bulla Joannis XXII. vulgo dicta Bulla Sabbatina, ut ipse testatur: Mihi flexi genibus ipsa fuit Virgo Carmelita, id est Carmelitano habitu induta, sequentem efflata sermonem à Joanne, & dicitur, Vocabi dilecti filii mei à tuo te eripiam adversario, scilicet diabolo. istam gratiam, & amplam meo sancto & devoto Carmelitanorum Ordini confirmationem debes praerocedere per Eliam, & Eliam in Monte-Carmelo inchoato: Quam Bullam confirmant alii Pontifices successores Alexander V. eam integram refert in suo diplomate cujus initium, Tenore est istud. Clemens VII. paulus III. Gregor. XIII. & de hoc multi omnes nostri Authores Joannes XXII.

Quinto. ad annum 1264. In quadam Conventu Tholosane Provinciae cum quidam Religiosus valde devotus Virginis Mariae, qui ab ea multas visiones receperat, vidit Sacratissimam Virginem sub gestante filium suum Iesum Christum super brachia erat autem vestibus albis induta ad modum Sororum Ordinis, excepto quod in capite gerebat coronam, vidit & Angelos duos, unum à dextris, & alium à sinistris eius tenentes pallium album, & extendentes, sub quo videbantur recipere viros albos, & mulieres nitido indutas, sub quo etiam ipse frater recipi videbatur, & quasi à ventis, & turbine videbantur omnes defendi, nempe ab omni adversitate, ac contrarietate, ita referunt Arnol. Bostius Historiali speculo, Balduinus, Lessius, In collectaneo exemplorum. doctor Josephus Andreas decore Carmeli 11. n. 22. & alii apud ipsam.

Sexto. In conventu Barbatiae, in Alemania missa solemniter celebrata cum fratres starent in choro in fervida oratione quidam magis, & insignis virtutis vir vidit Beatissimam Virginem habentem filium suum in brachiis, quae & fratres benignè respiciebat, & procedens per chorum flores per fratres dividebat. eundem tubicandos in signum fervidae charitatis, alteri liliam candidam in signum puritatis,

- Lezana. 287.
 - Clary. Virgo et sunt fratres mei.
 - Daniel.
 - 288. Virgo est benedicti filium suum.
 - Palcon. Joseph 289.
 - Mirabiliter liberantur Religiosi continentes antiphonam.
 - Lezana. 290.
 - Moniales liberantur.
 - S. Pectus S. Thom. S. Simon Scoth.
 - 291.
 - 292.
 - 293. Cant. 5. Cant. 7. Merita sanctissimi Carmeli ex Virginis
- tatis, & alteri similiter, quod cum dictus frater aliis narrasset, omnes glorificaverunt Deum, & eius sanctissimam Matrem, ex aliis refert Lezana Maria Patrona cap. 5. n. 38.
- Septimo: Cum in Anglia multi saeculares durissima, & crudeli infestatione nostros Religiosos omni modo vexarent, ac persequerentur, ira Dei venit super eos, & divinitus puniti sunt, multique subitanea morte perempti, & propter hæc, & alia ordinata fuit quædam processio, in qua nostri Religiosi Carmelita cum incederent accedentes ad quandam imaginem ligneam B. V. inclinantes se fratres ad illam, & dicentes. Ave Maria (6 rem mirabilem) Ipsa imago lignea inclinavit caput, & ter alta voce dixit: Ecce sunt fratres mei. Refert ex multis Daniel à V. M. vinea Carmeli n. 528. alias fol. 269.
- Octavo valde mirabile est illud, quod contigit in nostro Conventu Bononiae, quod cum fratres decantarent Antiphonam Salve Regina. Cumque pervenissent ad illa verba, Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. Proh magnum miraculum! adfuit Sacratissima Virgo, dicens, Psallite devotè filii, vobis enim filium meum Iesum & in presenti & in futuro saculo ostendam. Et illis puerum, quem in alius gestabat, videntem tradidit. Palæonyd. lib. 3. c. 11. Joseph Andreas decore 11. n. 22.
- Nono. Valde mirabile, quod apud Tolosam contigit, cum nostri Religiosi edificarent conventum in certo loco, à quodam Judæo converso dato cum durè, ac ægrè tulisset Dux, seu Capitaneus illius loci monasterium circumdedit tamquam muro, ut de victualibus nihil possent habere Religiosi, sed perirent Illi ad devotissimam Imaginem exorantes cantantes illam Antiphonam. Ave Stella matutina peccatorum medicina, tu nos in hoc carcere solare propitia. Circulus factus à Duce, tanquam muri Jerico, cecidit, & oculi ducis ceciderunt usque ad maxillas, qui tamen facti penitens confugiens, ac orans ad B. Virginem cum Religiosis, oculi redierunt ad suum locum, & ipse supplet habitum Religionis. Ita ex multis refert Lezana Maria Patrona cap. 5. n. 21.
- Decimo anno 1578. die 12. iuxta Viluordiam, cum quidam milites haeretici invaderent Monasteria Monialium B. V. de Monte-Carmelo, visa fuit quaedam matrona valde mirabilis, & venerabilis alba induta pallio ambulans super muros Monasterii, iniecit flammam, & prædones ascendentes abi gebat, quorum plures in terram conternati ceciderunt, & simul idem passi sunt, qui dormitorii ingressum tentarunt; Ita refert Antonius Sanderius in Britannia illustrata lib. 7. c. 74.
- Undecima, & duodecima sint duo illa & valde particularia beneficia, ac singularia, unum revelatio facta sancto Petro Thomæ de perseverantia Ordinis usque in finem saeculi, de quo multoties est dictum, alterum Sacrum Scapulare, de quo pauca pro dignitate à nobis dicenda sunt.
- Sicut de multis & magnis beneficiis, quibus nostra sacra familia à Virgine Maria est nobilitata de quibus late nostri Authores, duodecim hic tantum apposui, qui est numerus certus, sub quo cæteri comprehenduntur numeri.
- Dicitur Cant. 1. n. 11. Caput eius aurum optimum, id est coronatum corona aurea cap. 7. n. 5. Caput eius virgo Carmelita, id est coronata Carmelo, seu floribus Carmeli, nam omnes virtutes, & illustria merita sanctorum Carmeli ab intercessione, ac favore Virginis procedunt, & ideo in eorum operibus ipsa coronatur.

Apparet Virgo sanctissima amicta Sole, & in capite eius corona stellarum duodecim. Apocalypf. Apoc. 12. num. 1. per quas duodecim stellas, duodecim Apostoli intelliguntur, quia eorum illustria facta per virginem sunt exhibita, & adimpleta. Carthusian. de laudibus Mariae art. 16. ubi sic ait. Virgini attribuitur tota Corona duodecim Apostolorum, quoniam meritis eius fuerunt vocati, ac per eius instructionem edocti, per eius quoque suspiria, & orationes Spiritu sancto repleti. Unde & Virgini sancta singulariter attribuitur tota per Apostolos facta mundi gloria. Merito Apostolis coronatur, quia per intercessionem Virginis habuerunt Apostoli ut replerentur Spiritu sancto, & illustria facta ederent. Et in hoc convenit id, quod dicitur Apocalypf. 19. num. 12. de Christo Domino. In capite eius diademata multa. Sicut dictum fuerat per Zachariam 6. n. 11. Facies coronata, & vides in capite Iesu filii Ioseph Sacerdotis Magni ad quem locum sic ait D. Hieronymus, Imponitur Corona Iesu filio Ioseph, quia nobis proficientibus, & reversi ad meliora per coronam singulas virtutes nostras Dominus coronatur, imo nobis per penitentiam coronatur Salvator in singulis coronam accipit Rupertus, Scimus per singulas virtutes nostras Dominum coronari, & multa in capite eius diademata. De his multa dixi citato cap. 19. quæst. 26.

QUÆSTIO XXI.

De circumstantiis, quibus Sacrum Scapulare fuit datum, ac receptum à Sancto Simone, ac de nomine Scapularis?

Ab hoc secundo incipio relictis iis, qui dixerunt significare regnum capitis, Duce sunt probabiliores expositiones. Prima tenet deduci ab Scapulis obumbrantibus iuxta illud Psal. 90. n. 4. Scapulis tuis obumbrabit tibi. Explicant D. August. noster Incognitus, Estertus tamquam brachii seu alis extensis, veluti gallina, quae sub alis suos pullos custodit, ac defendit.

Secunda, & probabilior, quam tenent Theophilus Raynaud in proœnio tractatus Scapularis quod Scapulare desumitur ab Scapulis, seu humeris, est vestis monastica, seu Religiosa descendens ab humeris, seu Scapulis in totum corpus, ut ipsum suo monastico signo custodiat, & defendat veniamus ad circumstantias.

Cum nostra Religio esset ignota in Europa, & denuò advenisset ex Syria, multi apud Honorium instabant, ut Religio extingueretur, Honorio apparet Virgo Sacratissima, præcipitque Religiosos benignè excipere, ut habetur in lectionibus, & saepe dicitur, & in illa nocte crudeles adversarii mortui sunt, quibus, visis Honorius valde benigne exceperit Religiosos & multis, magnisque favoribus eos condecoravit, cum tanta Virginis Mariae miraculosa custodia, ac protectio esset nota in Religione Sanctus Simon Stock tunc generalis de consilio aliorum fratrum ann. 1226. ut quotannis die 16. Julii fieret in tota Religione Solemnis Commemoratio B. Virginis Mariae pro tanta protectione. Ita refertur in lib. Flores Carmel. in festico commemorationis n. 23.

Quia verò Deus beneficiis beneficia addidit eadem die 16. Julii anno 1251. cum tota noctem transisset Sanctus Simon in fervida oratione, ut ipse testatur, inter cætera rogabat, ac exorabat multis cum suspiriis, Flos Carmeli, vici florigera, splendor Cæli, Virgo puerpera, singularis mater mitis, viri